



**EXIMI-//VM PLANEQVE DIVI-//NVM OPVS
INCOMPARABILIS// Theologi Dionysij, professione
Car//thusiani, in quo opere contine[n]tur// quinque
humanae uitae specu//la**

Dionysius <der Kartäuser>

Coloniae, 1540

Qualem oporteat esse sacerdotem. Cap. IIII.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55481](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55481)

SPECVLVM

Qualem oporteat esse sacerdotem.

CAP. III.

QVALEM putas esse debere eum, qui pro toto mundo legatione fungitur & deprecatur, iniquitatibus omnium propiciam deum fieri non solum uiuentium, sed etiam mortuorum? Ego quidem Moyse & Helie confidentiam huic puto supplicationi posse sufficere. Sicut enim is cui sit commissus uniuersus mundus, & qui sit pater omnium, ita accedit ad deum obsecrans extingui quidquid ubique pugnatum est, dissipari tumultum, pacari omnia, & tam priuatis malis quam publicis imponi sine conuenit. Itaque tantum distat debet omnibus, pro quibus precatur uirtutis eminentia, quantum precellit & ipse distat officio. Cum uero etiam spiritum sanctum aduocauerit, & reuerentiam illam immolauerit hostiam, omnemque omnium dominum subinde contigerit, ubi illum dic mihi nostra estimatione ponemus, quantum ab illo splendorem poscimus & quantam religionem. Expende enim quales oporteat esse eius manus, tantarum rerum ministros, qualem linguam uerba illa fundentem, aut quo genere non mundiorum & sanctiorum animam talis spiritus receperit. Tunc enim etiam angeli circumstant sacerdoti, & tribunal atque altaris locus caelestibus uirtutibus adimpletur in honorem illius qui immolatur. Quod quidem ex ipsis que aguntur ostenditur. Ego autem audiui referente aliquo, quonia presbyter quidam uitae sanctitate mirabilis, & qui reuelationes solent uidere, retulisset illi tale spectaculum se aliquando uidisse. i. sacrificij tempore conspexisse angelorum multitudinem, sicut ei possibile erat intueri, stolis fulgentibus

tibus circundantem & altare coronantem, cum officio quo circa regem suum milites stare consueuerunt. Quod mihi facile persuasum est. Alter uero mihi retulit non ab alio se auduisse dicens, sed quod ipse uidisset, quoniam de hoc seculo recedentes qui participes mysteriorum illorum in conscientia munda fuerint, cum effluerint ultimum spiritum, subuehi eos alacres manibus angelorum. Necdum ergo inhorrescis, quod ad tale ministerium nitebaris me inducere, & indutum sordidis uestibus sacerdotum inferere dignitari, cum talem Christus ei conuiuantium congregatione separauerit. Splendore igitur uitae totum illuminantis orbem, fulgere debet animus sacerdotis. Noster autem tantis tenebris operitur, male uidelicet conscientiae, ut incuruetur semper, nec ad deum suum cum fiducia audeat aliquando respicere. Sacerdotes sales terrae sunt, nostram autem insipientiam & in omnibus ignorantiam quis queat facile sustinere, exceptis uobis qui nimis diligere nos decreuistis.

De dignitate & excellentia sacerdotum.

CAPVT V.

SACERDOTII autem, de quo loquimur, aspice dignitatem. Agitur quidem in terra, sed officium eius caelestibus negociis continetur. Non enim homo, non angelus, non archangelus, non aliqua creatura, non uirtus, sed ipse spiritus sanctus hoc munus instituit, atque adhuc manentes in carne ministerio fungi praestitit angelorum. Propter quod oportet pontificem, quasi qui in ipso consistat caelo, illius uirtutibus misceatur, ita uita splendore radiatum.

N ñ Fuertunt